



Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. I. Personæ non constituuntur originibus, sed proprietatibus
personalibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73455)

DISPUTATIO XXV.

DE

Divinis Personis in genere.

Quamvis Persona apud Comicos olim qualitatem potius, quam individuum hominis significarit, tamen antiquissimo usu non solum apud Theologos, sed etiam Jurisconsultos humanum seu rationale suppositum significat, cum *insit, de Jure naturali omne jus, quo utuntur*, dividunt in illud, quod ad personas, res & actiones pertinet. Recepta est apud Theologos definitio personæ à Boëtio tradita: *Persona est rationalis nature individua substantia*. Ubi per *rationalem naturam* non illa solum intelligitur, quæ ratiocinandi virtute pollet, sed quælibet intellectiva, etiam Angelica. Per ly *individua substantia*, non tantum significatur singularis substantia, cum in hac acceptione & anima rationalis & Divinitas præintellecta relationibus, & humanitas Christi, ut præcisa à supposito Verbi, personæ dicerentur: sed exponente S. Doct. q. 29. a. 1. *incommunicabilis substantia*. Huc etiam pertinet vox græca *hypostasis*, olim ambiguo sensu à Græcis pro substantia, à Latinis pro significatione substantiæ usurpata; quæ tamen ex usu Ecclesiæ posterioribus temporibus recepto, si concretè accipiatur, significat vel suppositum in toto genere substantiæ, vel Personam intra limites naturæ & substantiæ rationalis. Si sumatur abstractè, idem significat, quod personalitas, vel substantia incommunicabilis. Numerum & cognoscibilitatem Divinarum Personarum Disp. 20. consideravimus: restat, ut in præfenti Disp. Personæ constitutum, Trinitatis & singularum Personarum notiones, nomina, prædicata, & modos prædicandi dispiciamus.

ARTICULUS I.

Quodnam sit constitutum Personæ Divinæ?

SUMMARIUM.

1. Personæ Divinæ qualiter admittant constitutum?
2. A constitutivo remouentur origines.
3. Persona constituuntur relationibus.
4. Non transcendentalibus.
5. Sed formalibus.
6. Sitne ideo relatio seipsa prior & posterior?
7. Paternitas tantum sub exercitio referendi facit explicite concipi Patrem.
8. Esse ad est inadaquata ratio differentialis relationis Divinæ.
9. Relatio per incommunicabilitatem est prima ratio distinguendi personam.

§. I.

Persona non constituuntur originibus, sed proprietatibus personalibus.

1. Divinæ Personæ ita sunt ab invicem distinctæ, ut tamen in natura identicè conveniant: ideo non sunt primò, & se totis diversæ, prout olim Durandus sentiebat, sed habent singulæ constitutum, quo in ratione Personæ constituuntur, & ab aliis Personis distinguuntur: siquidem idem est rei constitutum, quod distinctivum. Porro nomine constitutivi non intelligimus constitutum aut constitutionem formalem per modum compositionis, quo modo forma physica formaliter constituit compositum physicum; differentia metaphysicum: sed constitutum & constitutionem virtuales per modum simplicitatis, hoc est ejusmodi formam, quæ posita hoc ipsò formaliter

habetur ratio completa Divinæ Personæ, ejusque distinctio ab omni altera Persona, quantum nulla partium compositio intercedat.

Ideo non possumus illis assentiri, qui Divinæ Personas per origines constituunt. Aut enim intelligunt originem activam, aut passivam. Si originem activam; illa est operati quoddam & actus notionalis, qui suppositum præsupponit, suppositorum quippe est operari; neque illud proinde constituit. Ut taceam, quod Spiritus S. hac ratione careret constitutivo, quia caret origine activâ. Non etiam possunt constitui per originem passivam, tum quia non minus Patet caret origine passivâ, quam Spiritus S. activâ; tum quia constitutum significat formam fixam, quæ res aliqua suum esse permanenter obtinet: non verò origo ex modo significandi est forma vitalis, & quasi fieri ipsius termini: in rebus quippe creatis filius per nativitatem non habet suum esse formaliter, sed vitaliter & in fieri. Tandem omnis origo sive activâ, sive passivâ in recto dicit aliquod absolutum; forma verò absoluta sicuti non potest esse distinctivum, ita nec constitutum Personæ Divinæ.

Verissima, uti & receptissima doctrina est, Personas constitui relationibus seu proprietatibus relationalibus, uti ex Concilio Lateranensi. c. *firmiter* & Concilio Florent. Sess. 1. aperte colligitur, ubi dicitur: *Personas Divinas per suas proprietates distingere*. Et ne fortè existimares, has proprietates esse absolutas, in eod. Florent. Sess. 18. Joannes Theol.

Theologus dixit: *Proprietates nequaquam communicabiles sunt, quod quidem ex relationis vi creditur evenire.* Nec sane proprietates Divinarum Personarum in script. aliis, quam relativis nominibus explicantur.

Sed qualibus, inquis; relationibus differunt Persona? Respondent non pauci: transcendentibus. Non placet: Quidquid enim sit de veritate & existentia relationum transcendentium (de qua Philosophi disputant) certe formaliter esse ad terminum, ut correlativè oppositum, est formalis effectus non transcendentalis, sed pradicamentalis relationis. Unde jam supra advertimus Divinas relationes habere se ad modum pradicamentalis relationis. Ad modum, inquam, illius, quia cum non sit in pradicamento collocabilis, absolute pradicamentalis dici non debet. Habet se tamen per modum pradicamentalis, quia dicit formaliter habitudinem ad terminum correlativum, & fundat oppositionem relativam, quod relationi pradicamentali est proprium. Quod enim est Pater, ad Filium est, *Et hoc solum numerum infirmat, quod ad invicem sunt, & in hoc numero caret, quod ad se sunt.* ut affirmat Concil. Tol. & ubi non obviat relativa oppositio, omnia in Divinis numm sunt. Porro relatio transcendentalis nihil refert formaliter, neque fundat oppositionem relativam, imò pertinet ad pradicata absoluta: adeoque ad distinctionem vel constitutionem Divinarum Personarum nihil conducit.

Non ergo transcendentalis, quæ semper potius est radix & fundamentum veræ relationis, quam vera relatio; sed ipsa formalis relatio, cujus esse est ad alium se habere, Divinam Personam constituit. Nam idem est rei constitutum, quod distinctivum: sed distinctivum in Divinis est sola relatio: ergo & constitutum. Minor liquet ex supra allato axioma, neque aliunde Divinæ Personæ possunt esse distinctæ, quam unde sunt incommunicabiles, sed ex solis pradicatis relativis sunt incommunicabiles, cum absoluta omnia sunt communia in Divinis.

§. II.

Enodantur difficultates oppositæ.

6. Sed hinc gravis emergit difficultas, quomodo non relatio seipsa sit prior, & posterior, si Personam constituit? Constitutum quippe Personæ præsupponitur origini & actui notionali: ipsa quoque origo seu ratio fundandi præsupponitur relationi: ergo si relatio constituit Personam, præsupponitur sibi metipsi. Verùm hanc ipsam difficultatem vidit S. D. & unâ distinctione expedit hic q. 40. a. 4. dicens. *Proprietas personalis Patris potest considerari dupliciter, uno modo, ut est relatio, & sic secundum intellectum præsupponit actum notionalem, quia relatio in quantum huiusmodi fundatur super actum; alio modo secundum quod est constitutiva Personæ; & sic oportet, quod præintelligatur relatio actui notionali, sicut Persona agens præintelligitur actioni.*

Quibus verbis S. D. indicat, duo inadæquata

munia & formales effectus in relatione considerari posse: nempe exercitium actualis referendi & respiciendi, ac secundò rationem formæ hypostaticæ, & incommunicabilis subsistentiæ. Unde licet relatio quantum ad ipsam exercitium referendi actum notionalem, seu rationem proximam fundandi sequatur, & ut sic non constituat Personam, sed constitutam supponat; sub altera tamen ratione formæ hypostaticæ, ad actum notionalem præsupponitur, ipsamque Personam constituit. Neque hoc novum est, ut eadem forma diversos effectus formales, & inadæquata præstans munia, sub una consideratione sit prior, & sub alia ratione posterior; velut apud Thomam gratia sanctificans, ut est in infundi, & quasi in fieri, præcedit contritionem, & sequitur eandem, ut est in facto esse.

Sed dices primò. Quandoquocunque concipitur Pater, concipitur ut relatus ad Filium; sed quandoquocunque concipitur persona constituta paternitate, concipitur ut Pater: ergo quandoquocunque concipitur persona constituta paternitate, etiam concipitur, ut relata ad Filium. Sed concipitur constituta paternitate præsuppositivè ad actum notionalem: ergo etiam concipitur relata præsuppositivè ad actum notionalem.

Respondeo, distinguendo minorem: quandoquocunque concipitur persona constituta paternitate, prout Paternitas dicit exercitium referendi, concipitur explicitè ut Pater, concedo. quandoquocunque concipitur sub ratione formæ hypostaticæ, nego, & similiter distincto consequente, & subsumpto, nego alteram consequentiam.

Dices secundò. Relatio non potest concipi absque sua ratione differentiali: sed præsuppositivè ad actum notionalem, concipitur relatio Personam constituens: ergo concipitur cum sua ratione differentiali: sed hæc est esse ad, & exercitium referendi: ergo.

Respondeo. Non potest relatio concipi absque sua ratione differentiali, vel adæquatâ, vel inadæquatâ, concedo, semper adæquatâ vel omnî inadæquatâ, nego, sed esse ad est ratio differentialis ipsius relationis; adæquata, nego, inadæquata, concedo. altera quippe inadæquata differentia est reddere incommunicabilem, sive habere rationem formæ hypostaticæ.

Obicies tertio: Relatio paternitatis per exercitium referendi distinguit formaliter Patrem à Filio, eique tribuit incommunicabilitatem: ergo per exercitium referendi Patrem constituit.

Respondeo, distinguendo primum membrum antecedentis. Relatio quoad exercitium referendi distinguit actu formaliter, concedo, radicaliter, & seu prima radix distinguendi, nego. Constitutum porro non debet tantum distinguere; sed esse prima virtus & radix distinguendi. Alterum quoque membrum antecedentis distinguo. Relatio per exercitium referendi facit incommunicabilem per se primò, nego, consecutivè & quasi secundariò, concedo antecedens, & nego consequentiam.